


IN LITURAM,  
SIVE CASTIGATIONEM  
CANCELLARIÆ  
HISPANICÆ,

*Editam sub nomine Fabij Hercyniani,*

OBSERVATIONES & ANI-  
MADVERSIONES.

*Prefatiuncula ad Lectorem inserta est brevis admonitio de novo  
artificio Bavavorum, qui memoriae quoddam Baronis de  
Tschernemmel, sub titulo Protocolli Heidelbergensis  
Consiliaris Palatinis mala fide ascribunt.*



ANNO MDCCXXIV.

## Benevolo Lectori S.



Rodijt superiori anno in lucem sub Fa-  
 bij Hercyniani nomine liber, excusus  
 Brugghovij, id est, Monachij, vel In-  
 golstadij, & Litura, seu Castigatio Can-  
 cellaria Hispanica, inscriptus, quo no-  
 minatim Vir Amplissimus, ac Clarissimus, Dominus  
 Ludovicus Camerarius, perstringitur. Etsi autem non  
 est dubium, Domin. Camerarium ita, uti par est, re-  
 sponsurum tum ad res, tum ad personalia, quæ vo-  
 cantur: tamen quia Fabius etiam alios satyricè exa-  
 gitat, & veluti communem omnium Unitorum, &  
 reliquorum avitæ Germanicæ libertatis amantium E-  
 vangelicorum (hos enim omnes per latus Calvinista-  
 rum petit) antagonistam profitetur, existimamus, ne-  
 mini eorum, qui Unitorum Imperij statuum consilijs  
 interfuerunt, vitio verti posse, si & ipse suo loco fa-  
 mam & existimationem Unionis tueri, & tela at-  
 que ictus communis huius hostis depellere studeat. In  
 hunc itaque finem, & hoc consilio breves hæ obser-  
 vationes & animadversiones conscriptæ, & præcipue  
 ea, quæ vel in factò, ut J. Cii loquuntur, aliter ha-

INGRESSUS

IN

CANCELLARIAM  
HISPANICAM,

CUM

ANIMADVERSIONIBVS

ET

OBSERVATIONIBVS.



N ipso limine, & in §. Amisso igitur, &c. ait scopticè Fabius, Reformatæ religioni addictos (quos Calvinistas vocat) contra vetus proverbium Germanicum, post verbera ad verba descendere, & ab infaustis verberibus ad verba decurrere, ad linguam, & calamum. Respondetur, Bavaros priores in lucem edidisse Cancellariam Bavaro-Anhaltinam, in qua Uniti, & inprimis Reformatæ religioni addicti multorum atrocium criminum cum accusentur, nemo non videt, illis provocatis, de tuenda per publica scripta existimatione & fama, etiam invitis cogitandum fuisse. Unde facile apparet huius sarcasmi vanitas & futilitas. Ait deinde, multis abhinc annis armaria Germaniæ implevere, &c. Quasi vero hoc soli fecerint pauci illi status Imperij reformati,

formati,